



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 5. Quas præterea regulas tradant AA. pro dignoscenda vana observantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

Esset tamen superstitiosum, credere, eas preces  
non prodesse in majore vel minore numero.

5. Multi excusant etiam eos, qui sanant morsus  
à rabido cane, quòd putent illos ad hoc habere  
gratiam gratis datam, & sic tenet *Navar. l.c.*  
*v. Sanch. Laym. Bon. ll. cc.*

III. Non est illicitum uti virtute rei naturalis,  
quæ per superstitionem cognita est, modò ejus  
observatio aut operatio non pendeat ab ope  
dæmonis. Ratio est, quia licèt illa cognitio malè  
parta sit, peccatum tamen transit; neque virtus  
naturalis ex eo quidquam mali contraxit,  
*v. Sanch. l. 2. Moral. c. 38. Bon. q. 5. p. 4. Lay. l. 4. T. 10. c. 4.*

A D D E N D A.

Q. 5. *Quas præterea regulas tradant Auctores  
pro dignoscenda vana observantia.* R. §. 1. *Sanch.*

*Castrop. Tamb. Gob.* & alii tradunt sequentes: 1.  
Quando rei vis tribuitur ad effectum, quam vim  
nec à natura sua, nec à Dei vel Ecclesiæ institu-  
tione habet, semper est superstitio, quia effectum  
exspectas, non à natura, nec à Deo, ergo à dæmone,  
cùm sperari non possit, quòd casu sit eventurus. 2.  
Si res sacræ adhibeantur ad effectus vanos &  
inutiles, aut si signa, aut res vanæ adhibeantur  
ad effectum qualem cunque obtinendum, est super-  
stitio, quia Deus non immiscet se rebus vanis, ergo  
effectus non potest exspectari nisi à dæmone. 3.  
Præsumitur dæmonis invocatio saltem tacita,  
quando adsunt, vel verba non significativa, vel  
figuræ inutiles, vel falsitas, v. g. in conditione  
aliqua, vel promissio effectus infallibilis, quia  
nec DEUS se immiscet vanis, nec infallibiliter  
appromisit tales effectus, ergo cùm à natura  
non sint, si tum exspectentur, à dæmone exspectan-  
tur. 4. Quando dubitatur, an effectus sit  
à vi

à vi occulta naturali, an à dæmone, potiùs judicandum est esse à natura, adeóque non esse superstitionem, quia plurimæ sunt virtutes in rebus naturalibus nobis incognitæ : itaque in dubio dicendum est id potiùs esse à natura, cum miros à natura effectus fieri videamus, quorum rationem reddere non possumus, ergo etiam in tali dubio sumus in possessione Juris ad utendum ejusmodi rebus, donec rescatur non esse à virtute naturali occulta. 5. Si dubitetur, an effectus sit à Deo, an à dæmone, præsumendum est esse à dæmone, quia cum res, quæ adhibetur, non sit naturalis causa illius, erit tantum signum, ad cuius positionem vel Deus vel dæmon effectum ponet; de Deo autem talia operante nescim<sup>9</sup>, nisi in Sacramentis & sacramentalibus, estque temerarium dicere tum semper fieri miracula, ergo moraliter certò præsumitur esse à dæmone. 6. Quando ab aliquo homine aliquid mirum efficitur, potiùs censeretur fieri naturaliter, quàm magicè, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur; quandoque etiam, maximè sanctitas operantis vel alia urgentissima indicia suadent aliquid fieri supernaturaliter & per miraculum, Deo per Sanctos suos operante. 7. Si aliqua videantur bona, aliqua autem admisceantur redolentia superstitionem, poteris usurpare cum spe eventus, si removeas superstitionem, v.g. Sanitas spondetur puero, si B. Virgini offeratur candela præcisè æquè ponderosa, quàm est puer, si tu offeras magis aut minùs ponderosam, & speres sanitatem, rectè agis.

29 §. 2. Ex datis regulis colligitur, sequentia esse superstitiosa. 1. Facere ligaturam rei alicujus, ne vaccis laceffluat. 2. Certò credere se non moriturum ex vulnere, si Festo S. Stephani in pane & aqua jeju-

jejunet, ritèque confessus communicet. 3. Festo Paschatis vel alio solenni die abstinere à carnibus, credendo se per hoc infallibiliter liberandum à feбри aut alio malo. 4. Nolle adire convivium, in quo sunt tredecim, eò quòd unus certò credatur brevì moriturus, uti è convivis tredecim in ultima Cœna unus mortuus est, nempe Christus aut Judas. 5. Pondere aliquo ad funem suspenso inter pollicem & indicem explorare, quota sit hora, toties enim dicitur pulsus dari ad latus vasis: esse autem superstitiosum evicit *Lugo* suâ experienciâ, uti refert *Tamb.* l. 2. c. 6. §. 1. n. 39. confirmâtque n. 79. ex *Baldel.* & *Delr. Sporer* quòque *T.* l. c. 5. n. 22. fatetur se sæpius usum bonâ fide, sed auditâ experienciâ *Lugonis* damnat, & addit, *Aliis ergo, & maxime illis, quibus, ut idem experirentur, imprudens auctor sui, jam pœnitens dissuadeo.* Dicunt aliqui hoc esse à pulsu arteriæ, sed contrà est, nam pulsus arteriæ est constans & naturalis, numeratio autem horarum, v. g. primæ, est arbitraria, posset enim numerari ab ortu vel occasu Solis, & per accidens est, quòd apud nos numeretur à tempore, quo Sol post horam transit Meridianum, ergo cum arteria esset pulsatura eodem modo, licet homines vellent, ut prima aliter numeraretur, non potest esse ab arteria, quòd nunc sonet prima. Deinde non potest ostendi, cur arteria, quando est prima, det potius unum, quàm duos aut tres pulsus, semper enim æqualiter movetur per impulsum sanguinis. Alii dicunt provenire à speciebus phantasiæ, quæ moveat sanguinem, & id evenisse *Lugoni*, qui tum tenebat Italiam per diem & noctem, hinc etiam fieri tantum in sanguineis calido-humidis: talem autem esse vim phantasiæ docent Medici, nam si tangant arteriam *Titii*

&amp;

& proferant nomina *Caji & Sempronii*, dignoscere possunt, quem eorum magis amet vel oderit. *Contrà est*, unde sunt illæ species? An infusæ? an acquisitæ? & per quos actus? Deinde si fit hora secunda & ipse æqualiter nesciat, sitne prima, secunda an tertia, uti fieri potest saltem noctu expergiscenti, cur species phantasiæ movebunt sanguinem ad duos præcisè pulsus? Item, cum species phantasiæ sint mortuæ, non possunt movere phantasiam, nisi causando actum phantasiæ, de hoc actu quæro, quid pro objecto habeat; non certum numerum horarum, nam ignoratur, & vult horam explorare; nec aliquid aliud, quia nihil aliud erit connexum cum tot præcisè pulsibus. Præterea, pone quòd planè imagnetur sibi, esse tertiam, quando est prima, si arteria pulset tertia tua experientia fallit; si pulset semel, non est ex vi phantasiæ; unde ergo? Denique sequitur, quòd non explorem, quæ sit hora in tempore, sed quam horam mihi imaginer, id autem non est opus explorare pulsu annuli, sed hoc certitè sciam reflectendo me supra meam phantasiam, ergo tuum experimentum est planè inutile & vanum.

6. Nolle die Lunæ aliquid dare mutuò, quia credit non ita facilè reddendum: item nolle die Martis iter incipere, ne in milites incidat: item nolle nere die Sabbathi. 7. Subitò reddere vires vel sanitatem insufflatis quibusdam verbis in aurem. 8. Reddere canes mutos insufflatis vel prolatis illis verbis: *in campo & freno maxillas eorum constringe*: item istis sistere sanguinem, *Liberame de sanguinibus*: item illis, *Verbum caro factum est*, velle reddere partum felicem: item illis, *consummatum est*, sanare luxationes equorum: item illis in aurem insufflatis velle excitare laborantem morbo

morbo caduco, *ô Creatura Dei memento Creatoris tui.* 9. Si quis oret certas preces, ut Christus, B. Virgo vel Angelus sibi appareat in morte, omnino certò putans eos apparituros. 10. Certas preces orare, vel schedas circumferre, cum certa fiducia, se ideo non moriturum subitò vel finè confessione. 11. Folium trifolii gestare ad felicitatem conciliandam. 12. *Ægrotantis lecto supponere* certas herbas, ne desperet in agone. 13. Schedas profanas infra limen stabuli deponere, ut pecora transeuntia omne malum evitent. 14. Putare domum muniri contra fulmen, si die palmarum ramus palmæ ter circumferatur, & extra domum relinquatur. 15. Credere gallinas fore liberas ab Accipitre, si primum, quod ponunt, ovum detur Pauperi. 16. Conservare ova die Veneris Sancto posita ad restinguendum incendium. 17. Fricare dentes vel oculos sub elevatione, ut dolor dentium vel oculorum depellatur. 18. Aliquid infaustum metuere, si videantur duo Sacerdotes simul elevantes Hostiam in Misfa. 19. Si avis mcestum canat, corvus crocitet, lepus prætercurrat, credere prænunciari alicui mortem vel infortunium. 20. Pueros aut chartulas nomine Puerorum inscriptas mittere per fissuram arboris, ut sanentur à ruptura, uti *S. Thom. & alii cum Burgh. cent. 1. cas. 46. habent.* 21. Ungere gladium adhuc calentem sanguine vulnerati, ut in distans sanetur, cum communi *Burgh. cent. 3. cas. 29.* 22. Ex nomine in Baptismo imposto conijcere, an aliquis sit probus vel improbus. 23. Dum tonat, volutare se in terra, ut dolor tergoris cesset. 24. Cingulo metiri ægrotum, ad dignoscendum, à quo fit sanandus. 25. Filo metiri corpus ægroti, illudque postea secare ad sanandum morbum. 26. Securi dividere stramen,

stramen, ut tumores manuum sanentur. 27. Ferrum, quo cæsus es, infigere larido porcino, ut tu saneris. 28. Ligare arborem aut rem aliam loco vulneris sanandi. 29. Summo manè scopis tangere olera, ut sint secura ab erucis. 30. Manè lavare manus, credendo tum sagas nocere non posse. 31. Ferrum catenæ, ex qua pependit patibularius, aut manum suspensi adhibere ad miros effectus. 32. Certam schedam affigere januæ, ut ad eam cogatur venire fur. 33. Si plures veniant in suspicionem delicti, comedere salem & panem, ut is, qui nocens est, malè habere incipiat & sic prodatur. 34. Si adit mulier, de qua suspiceris, quòd sit saga, invertere scopas, ut si saga est, abire non possit, nisi gresu averso seu cancrino. 35. Ad pellendos morbos uti annulo confecto ex oblati Crucifixo die Veneris sancto. 36. Globos transmittere per certum anulum certo die & horâ fabricatum, ut quodcunque explodes, tangas, quod intendis. 37. Credere lac statim coagulandum in butyrum, si in illud immittatur ferra ferrea necdum adhibita ad usum. 38. Lignum è feretro, in quo jacuit mulier mortua, appendere collo pecudum, ne ægrotent vel ut sanentur. 39. Credere se peccaturum, si extremâ Unctione semel acceptâ ambulet nudis pedibus. 40. Cingulo prægnantis mulieris pulsare campanam, ut habeat felicem partum. 41. Si gallina instar galli cantet, credere malum imminere. 42. In lusu mutare situm corporis, aut complicare pedes, ad evitandû infortunium. 43. In nocte S. Joannis orare, ut in somno appareat ille, cui nubere debeat: item credere se non ducturum uxorem eo anno, quo coram se ignis fuit coopertus cineribus: atque de similibus superstitionibus circa Sponsos & Sponsas multa

multa habet *Gob. Tr. II. à n. 1010.* 44. Adjurare creaturas irracionales, modo in Ecclesia insolito, ne incipiant aut pergant nocere ; item animalia noxia citare ad iudicium, vel excommunicare: aliud est, si fiat modo ab Ecclesia præscripto, tum enim nubes & tempestates non adjurantur directè, sed vel Deus deprecativè, ut malum avertat, vel dæmon imperativè, ne noceat. 45. Gestare lapidem fulmineum, super quo tria Sacra sint lecta, ut quis sit fortis. 46. Tres virgas salicis ducere per os, deinde eas suspendere in camino, ut postquam fuerint arefactæ, desinat graveolentia halitûs. 47. Vertere se ad Lunam crescentem, & strumâ manu apprehensâ dicere, *Quod video, crescat, quod tango detumescat.* 48. Credere me moriturum ideo, quia alius me innocentem ad Iudicium divinum citavit : Si tamen citatus es, quia eras nocens, meritò times, quia *Drexelius* in suo Tribunali L. 2. c. 3. affert 24. ejusmodi citationes, quæ effectum habuerunt : an autem liceat ita citare, dicemus L. 4. n. 1530. 49. Ponere certam spem in deferendis certis nominibus ; quæ, ut licitè circumferantur, habere debent has conditiones, ut sint nota & sancta, ut habeant characteres notos & sanctos, ut contineant vera ac pia, ut nulla ponatur spes in loco, tempore, numero scribendi, nec in modo deferendi vel allegandi ea, ita *Alloza V. Superstitio. S. 2. n. 24.* 50. Credere, quòd imagines astrologicæ & characteres aliæque figuræ artificiales, quæ sunt factæ sub tali constellatione vel signo, ratione sui artificii vel imaginis habeant vim ad hunc vel illum effectum, *S. Thom. & Sanch. L. 2. c. 40. n. 50.* cum aliis multis, contra quosdam, qui conantur defendere. Qui plura volet exempla superstitionum hoc tempore usitatarum, consulat

C

*Gobat,*

Gobat, qui per 30. paginas, præcipuè à n. 923. sexcentas ejusmodi nugas affert.

- 30 §. 3. Multa secundùm diversos Authores damnantur vel excusantur à superstitione, v.g. I. *Leander* negat, alii probabilius affirmant esse superstitionem, si quis ex aura, quæ est certo die, v.g. Festo *S. Urbani* vel conversionis *S. Pauli*, velit prædicere, qualis sit futura per annum. Audi *S. Chrysof.* Hom. adversus eos, qui observant novilunia; *Non audis Apostolum dicentem, dies observatis & menses & tempora & annos? metuo vobis, ne frustra in vobis laboraverim: nempe extrema hoc amentia est, propter unum diem, si auspiciatus fuerit, per universum hoc expectare annum &c.* 2. *Raym.* apu *Gob.* n. 960. arguit superstitionis eos, qui statuunt Patronum suum menstruum honorare jejuniis, licet Festum illius in Dominicam incidat; item eos, qui omnes suas satisfactiones donant Defunctis, cum ipsi maximè indigeant, sibi que applicare deberent: Sed alii meritò contradicunt, nam quoad priorem partem, rectè docent *Sanch. & Tamb.* per se loquendo, nullum esse peccatum die Dominico jejunare: quoad alteram, vide dicta
- 31 L. 2. n. 179. 3. *Gob.* n. 961. non omnino damnat certæ superstitionis eos, qui putant sanguine vulnerati misto cum quodam pulvere sympatico sanari posse recens vulnus hominis ad trecentos passus distantis, quia fortè verum est, quòd aliquæ qualitates diffundantur per medium, uti cadavera odorem mittunt per multa milliaria, teste *S. Thom.* multisque Philosophis: Sed rem illam reliqui communiter damnant, videtur enim incredibile, quòd qualitates talis pulveris possint ita longè per muros & media corpora interjecta undequaque diffundi; quòd si dicant agere in distans, adhuc

adhuc minus probabilitatis habet. 4. Quidam 33  
suspectum habent, sed *Gob. n. 1014.* absolvit à super-  
stitione eum, qui gestat nummum benedictum  
& insignitum figurâ *S. Georgii*, eum fiducia,  
se non casurum ex equo, vel si cadat, casum fore  
innocuum, non apparet enim, cur superstitiosum  
sit, si quis non appromittat sibi infallibiliter  
talem effectum, sed speret per merita & intercessi-  
onem *S. Georgii Equitis*. 5. Aliqui absolutè 34  
damnant, aliqui autem absolutè excusant  
à superstitione eos, qui putant se habere vim aut  
gratiam sanandi certos morbos, vel qui ad tales  
accedunt sanitatis causâ, uti refert *Sanch. n. 45:*  
*Dian. autem p. II. T. 4. R. 42.* citans *Delr.* & alios sic  
habet: *Non videtur superstitiosum, quòd in Belgio*  
*omnes nati die Veneris sancto putentur suo contactu*  
*sanare à febris, aut quòd septimus masculus*  
*ex legitimo Matrimonio natus nullâ femineâ prole*  
*intermediâ sanare possit strumosos.* *Sanch. verò & Gob.*  
nec universaliter improbant, quia *DD.* graves  
approbant, & *Ecclesia* id permittit, potèstque *Deus*  
certis familiis certas ejusmodi gratias gratis datas  
tribuere; imò etiam potest certis hominibus  
certa virtus naturalis convenire ad morbos  
ejusmodi sanandos, uti ex *Plinio* ostendit *Azor*,  
attamen etiam universaliter non est approbandū,  
nam in primis putat *Delr.* hanc gratiam solis  
*Catholicis* concedi à *Deo*; deinde non est credibile  
tam multis hominibus impiis concedi, quos  
se habere jactant: unde ab *Ordinario* prius rigidè  
examinandi sunt, & repellendi, si vana vel parum  
honestâ admisceant. Videri potest *Sanch. supra*, ubi  
optimè & fusè de ea virtute discurret, affertque  
signa dignoscendi, qualis sit.

§. 4. Quod attinet ad virgam, quam vocant 35

C 2 divinatoriam,

divinatoriam, Sacra Congregatio generalium Inquisitorum de Mandato Clementis XI. post exactum examen Theologorum, die 26. Oct. 1701. damnavit & prohibuit librum, cui titulus, *La Physique occulte ou traité de la baquette divinatoire*: usum tamen talis virgæ pro inve- niendis metallis & fontibus approbârunt vel ausi non sunt improbare *Majolus, Peucer, Fludd, Libavius, Willemius, Fromman, Dechales, Hirnbaim, Saint Romain, Royer*; è contrâ eum usum damnant *Agricola, Paracelsus, Roberti, Stengelius, Forerus, Casius, Fabri, Kircherus, Aldrovandus, Schottus, Conradus, Sperling, Menestrier, Natalis Alexander, Commentator Liter. Tolly, Auctor libri sub titulo, Histoire critique des pratiques superstitieuses*, qui p. 2. c. 3. ad discernendum, sítne effectus natu- ralis an non, ponit hanc regulam, *Tum est causâ naturalis, si in eisdem circumstantiis Physicis semper agat eodem modo*: è contrâ, *tum non est naturalis, si in eisdem circumstantiis Physicis non semper agat eodem modo, sed requirat, v.g. ut à certis personis applicetur, ut cum certa intentione, sub recita- tione certorum verborum, cum circumstantiis aliquibus purè moralibus, quæ modum agendi physicum immutare non possunt. Ex illa regula infert c. 4. per virgam non posse detegi limites agrorum, nec latrones vel homicidas, nec res perditas vel furto sublatas, quia quòd hic vel ille lapis sit limes agri, pendet à circumstantia morali hominum ponentium ex illa intentione, virga autem coryli vel quæcunque alia non attrin- git moralia*: Similiter quòd hic homo sit latro vel homicida, aut quòd hæc pecunia sit perditâ aut furtiva, est circumstantia moralis, quâ non immutatur vis aut modus naturalis agendi, quem

quem habet virga. Similiter c. 5. infert non esse effectum naturalem, si virga detegat fontem vel metalla, 1. Quia virga flectitur, ubi illa non sunt; & non flectitur, ubi illa sunt, uti experienciâ certum est, causa autem naturalis semper eodem modo agit in eisdem circumstantiis: 2. Virga ad nimis multa flectitur, quæ planè diversas habent naturas & exhalationes: 3. Cur non æquè flectitur ad detectas aquas & metalla? 4. Non flectitur ad aquas & metalla, si intentio sit inquirendi aliquid aliud, hæc autem est circumstantia moralis tantum, nec per intentiones nostras potest variari effectus naturalis. 5. Vis exhalationum non est tanta, ut posset flectere virgam, multò minùs frangere, quando forti manu attinetur. 6. Non deberet torqueri in manu, seu verti, sed purè flecteretur versùs locum, uti non vertitur ferrum per magnetem, sed purè trahitur, vel rectà accedit. 7. Apud aliquos torquetur ad ferrum, si in acie virgæ ponatur ferrum, apud alios per hoc non impeditur ejus virtus, ergo ob diversitatem moralem personarum agit difformiter, ergo non est causa naturalis. Idem Auctor probat c. 7. dæmonem sæpe agere, quamvis nullum cum eo pactum intercedat, ut sic decipiat & in peccata paulatim inducat. Denique p. 3. c. 4. circa clavem S. Huberti & similia dicit expedire, ut non sit ejus usus. Addit in talibus sæpe committi superstitionem, quia exigitur miraculum per signa, quæ aliquando miracula patrârunt, sed non habent à Deo promissionem futuri semper miraculi: è contrâ, illa circa Reliquias & Novenam S. Huberti nil continere superstitionis, post audita judicia Theologorum & Medicorum Lovanienfium, declaravit 4. Octob. 1690. Joannes Ludovicus Ep. Leod.

§. 5. In dubio, an aliquid sit superstitiosum, putant *Tamb. Gob.* & alii non peccari mortaliter, si quis semel aut iterum operetur, non exspectans certò effectum, sed veluti experturus. Addit *Tamb.* extrinsecè saltem probabile esse, quòd in tali dubio, si adsit gravis necessitas, v.g. ob recuperandam sanitatem, quæ aliter restitui non potest, possis sinè ullo peccato adhibere tale medium, factâ priùs protestatione, quòd nolis in ullum pactum cum dæmone consentire: *Alloza n. 5.* citans alios sic habet, *Licetè potest quis experiri, an in aliqua observantia sit pactum cum dæmone, protestando se nolle talem effectum, si à dæmone est:* tum enim magna necessitas, inquit *Gobat*, facit tibi jus ad exponendum te dubio periculo superstitiosis. Sed non obstante horum sententiâ, res illa plena est periculi, adeòque vitanda; unde quod *Sanch. n. 25.* ait, si quis non seriò, sed joci causâ, & ad experiendum effectum causâ curiositatis semel utatur vanâ observantiâ, hoc fore tantùm veniale, quamvis non ausim dicere esse improbabile, cum etiâ *Tancredi, Tamb. Arsd.* & alii dicant fore tantùm veniale, licet fiat semel aut iterum, est tamen prorsus disuadendum, & circa hoc idem videtur dicendum esse quod n. 11. est dictum. Denique *Tann. & Stoq. L. I. p. 3. n. 428.* sapienter monent, sæpe melius esse ad tempus permittere superstitiones simplicium hominum, quam admonere, si prævideantur jam non abstenturi, nam admonendo fiet, ut sublatâ invincibili ignorantia peccent mortaliter aut saltem graviùs, cum antea vel bonâ fide vel saltem cum minore remorsu operantes, vel non peccarent, vel peccarent leviùs: postmodum tamen datâ occasione paulatim erunt disponendi & ab ejusmodi rebus abducendi.